



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

4. Cantus lascivi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

puella fœdè consuescentem, & ea corporis parte, qua peccabat, vindicem *Phinea* pugionem, cum amasia sua recipientem. Num 25.

IV. (e) Per Sirenes etiam denotantur Cantores & Cantatrices, quos Salomon Ecclesiastæ 2. vocat *delicias hominum*, à quibus & ipse turpiter incantatus est. Puerorum, ac præsertim feminarum vox est mollior, dulcior, delicatior, & ad effeminandum animum potentior. Unde Prov. 5. dicitur: *Favus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus.* Quocirca S. Hieronymus ad *Furiam*, mandat, ut Fidicinas, & psaltrias, & istiusmodi chororum diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina proturbet ex aëdibus suis. De his D. Ambrosius cit. loc. in Lucam. Quid sibi vult puellarum (cantantium) figura, nisi evirata voluptatis illecebra, quæ constantiam capræ mentis effeminat? Quæ autem illa vada, nisi nostræ scopuli sunt salutis? Nihil enim tam cæcum, quam secularis suavitatis reticulum, quæ dum mulcet animum, vitam obruit, & corporeis quibusdam scopulis sensum mentis illidit. Et S. Augustinus lib. de decem chordis. Quid prodest delectari canticis ad tempus turpibus, in posterum amaris? Talibus enim turpitudinibus cantionum animi humani illecti enervantur, & decidunt à virtute, defluentes in turpitudinem, & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt, quod cum magna dulcedine biberunt. Consonat Theodoretus in Gen. quæst. 47. Vbi ait, filios Sethi à parente suo optimè institutos, perditis filiarum Caini amoribus corruptos fuisse, illectos instrumentis canentium cithara & organo, quæ *Inbal* ipsarum pater confecerat. Quare sicut Sirenarum scopuli, illæ quoque Comœdiæ fugiendæ, quarum argumentum molle & fractum, mollioribus etiam modulis lascivit, & ad flagitium invitat.

V. (f) Meritò verò Sirenes à *trahendo, neſcendo, tenendo, catenando* dicuntur, nam quos voluptatis illecebra semel implicavit, altissimè tenet & vincit, ne elabantur. Trahit autem vel cantu, vel visu, vel consuetudine. De qua S. Augustinus lib. 8. Confess. c. 5. *Susp̄irabam ego, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa, facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Hinc tres esse Sirenes dicuntur, & triplici allicere cantu. Et celebre est illud:

Venter, pluma, Venus, laudem fugienda sequenti

V 3

Tres

(e) *Cantus lascivi.* (f) *Per tres Sirenes tria vitia indicantur.*